...ous


...viensis

Niewiczki Stanislai: Magna splendoris et gloriae Zamoscanae revolutio ad auspicatum Zamosciam ingressum d. Martini Zamojski.

MAGNA SPLENDORIS
Et Gloriæ Zamoſcanæ
REVOLVTIO
Ad auſpicatũ Zamoſciam ingreſſum
Illuſtriſſimi & Magnifici Dñi.
D. MARTINI
IN ZAMOSCIE
ZAMOYSKI
Capitanei Płoskirouienſis, Subdapiferi Leopolienſis.

In Lechico celebrata climate: atq;
Per M. STANISLAVM NIEWIESKI Philoſophiæ Doctorem, Matheſeos Ordinarium in Academia Zamoſcenſi Profeſſorem applaudentis animi obſequio, in commune gaudium
DESCRIPTA.
Anno Dñi 1674. *die* 24 *Menſis Iunij.*

IN ARMA
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS ZAMOSCIANÆ.



Mars & Apollo Sacer redamant hoc Stemma vicissim,
Spicula nam semper gestat vterq; DEVS.
Possibile est ideò Vestrum genus esse perenne,
Numinibus quando Stemmata Vestra placent.
More Sagittarum, SARIVM decus, ibit in altum,
Vnus nec capiet nomina tanta locus.

MICHAEL DVNIN BORKOWSKI.
Stud: Rhet: in Academ: Zamosc:

MAGNA SPLENDORIS Et Gloriæ Zamoſcanæ.

REVOLVTIO.

TAndem poſt triſtia Magnorum Heroum in Orbe Zamoſcano fata, & mæſtos tantorum luminum occaſus, iucundam ſub hoc climate notamus reuolutionem; cum Te ILLVSTRISSIME DOMINE, piorum Cinerum rediuiuam gloriam ſalutamus. Lætum equidem in Polono Hæmiſphærio cernimus exoriri Phœbũ; dum ille Zamoſcanus ſplendor, & copioſum Maieſtatis lumen, quod hactenus ſub vmbris nigræ diſparuit Libitinæ, per Te, in totum ſeſe effundit Horizontem. Non potuit cer-

tè res tanta sinè adminiculo Numinis fore, verum supremam constat Diuos admouisse manum, vt illa, Polo & Polonis grata ZAMOSCIORVM Nomina, à Tua denuò Illustri Persona mutuarent vitam. Diuorum istud opus est, collapsas rerum formas ad pristinum reuocare gradum; illuduè quod esse desierat, iterum ad nouam viuendi rationem excitare. Verùm albo rarior coruo, cui desuper ita prouisum sit, vt post clausam vitæ periodum, à noua, ut aiunt, linea, viuere contingat. Eam hic adimplere, necessitas suadet conditionem, vt Heroicis in Superos & Patriam abundet factis, qui cupit esse post fata superstes. Bonorum certè operum inanis vita, æterna compensatur obliuione: sola Virtutibus coruscans, eâ gaudet prærogatiua, vt nullis sit obnoxia vmbris; verum semper in publica mundi existit luce, & recentem quotannis sui memoriam tenet. Ita fit cum ILLVSTRISSIMA ZAMOSCIO-

SCIORVM Domo, quæ dum tales produxerit stirpes, quarum suffragio eximius Numinis cultus, & Patriæ integritas semper floruerint; meritò eò vsq; perennat, & indeficienti motu, felicem per posteros suos reuolutionem facit. A noua rursus incæpit linea, per Te ILLVSTRISSIME DOMINE, postquam disponentibus fatis, in dispositionem Bonorum & Honorum ZAMOSCANORVM, accessisti Ordinatus. Bonum proinde omen adest, Diuorum, siquidem auspicio, nutuq́; hanc, quam alite fausto ingressus es, obtinuisti sedem. Quare, non poteris, nisi feliciter eidem præesse: quinimo, restitues illa, Maiorum aurea tempora, quibus res Polonæ viguêre, nostræ domesticæ floruêre, omnia deniq; cætera, plausibili succedebant euentu. Præuidit inquam, supremus ordinator rerum, idoneam Personam Tuam, ád continuanda Maiorum Tuorum sibi chara nominá; cum eius sis indolis, quæ facilé tan-

tárum rerum capax inueniatur. Non desunt equidem clarorum per Te factorum specimina, quibus iam pridem ILLVSTRISSIMÆ PROSAPIÆ TVÆ proximè æmularis, nullumq; maius propositum tenes, quam Heroica eorundem assumere facta. Innatus enim vobis, ILLVSTRISSIMI ZAMOSCII, vigor, ingenitum desiderium, continua voluntas an voluptas, Maiorum vestigiis ad summa niti, & ad virtutis augem prono celeriq; reuolui passu. E quorum serie, cum vel Tuam saltim ad præsens contemplor ILLVSTREM PERSONAM; parem indoli tantæ, in me non inuenio dicendi modum. Reformidat Oratio mea Tuarum laudum magnitudinem: suadet tamen officiosi affectus Symbolum, in hoc communi lætitiæ plausu, aliquid saltim effari, vt inde constet, mei erga ILLVSTRITATEM VESTRAM cultus, ac venerationis argumentum. Ast vereor ILLVSTRISSIME

DOMI-

DOMINE, ne vim afferam modestiæ Tuæ qui mauis illustria facere, quam sua bene facta palam audire: sed patêre quæso hanc Tibi imponi necessitatem, vt coactus audias, quod ego libenter proferre incipio.

Magnas orbium cæli reuolutiones,
paruis euentuum claudi præsagiis,
nondum humana connotauit memoria.
Habent hæc numina, sua omina:
quæ, dum tardè recurrunt;
magni & solidi quidpiam pollicentur.
Vt autẽ illa, quæ subitò fiunt, mox deficiunt;
ita diu expectatus alicuius syderis regressus,
antiquas moras, diuturniore compensat effectu.
Specta nitentem super æthera Phœbum;
hic, quando segnioris metitur vestigia cancri,
Serius ab humano conspectu radiantem abscondit vultũ,
dulciusuè climata mundi suâ exsaciat luce.
Momentaneũ hîc non expedit esse dominatum:
Vbi post longiores sub alio hæmisphærio moras,
nouum incæpit Horzonti nostro affulgere Sydus.

Quare?

Quare:

Serotinæ reuolutioni conuenire dicam:
tardè oriri, sed diu influere.
Postquam verò simili passu, ad zenith,
& pristinum cælestes sphæræ redeunt locum;
omnes à subterraneis regionibus secum reuocant Stellas:
quod latuit antè, publico exponunt aspectui:
de nouo operantur: præsunt sublunaribus:
& vulgi ora atq; oculos in se conuertunt.
Sunt ergò
Cælestibus æmula Sphæris,
Clarissima ZAMOSCIORVM Nomina
vel potiùs Numina:
quæ postquam è Domo Vitæ, ac Honorum,
ad alias olim migrassent Stationes;
ad easdem deinceps per Te ILLRME DNE.
MARTINE in Zamoscie ZAMOYSKI,
redeunt Domos.
Jnuersus hìc fatorum ordo:
alia naturæ sancita:
quandò occidunt lumina Vestra, & iterum oriuntur.
Datur hîc, extra communem sortem,
à priuatione, ad habitum regressus,
& speci-

& speciali, ZAMOSCANO nomini, indulsit natura priuilegio.

Circulum agit ;

in quo, sicut initium difficillimè ;

ita finem nequaquam inuenire licet.

Huius Tu circuli centrum es :

à quo, linea Prosapiæ Tuæ, ad peripheriam Maiestatis educta, Nominis, & Propaginis in Te facit paritatem.

Ad hoc nobile centrum ,

tendit illa Maiorum grauitas :

reuoluitur ad Te ; velut basim & cardinem vlterius suæ per Orbem apparitionis.

Quid ergo ?

annè tanta reuolutio, paruum felicitatis Polonæ dabit augurium ?

Spesnè, & expectationem cunctorum eludet? minimè.

Magnorũ Heroum, in Tua JLLRI Persona, reditus ; modica præsagire nequit,

Totus iam ferè Sarmaticus Orbis, Magnanimitate Tuâ suspensus, nescio quid cæleste, de Tua sibi Virtute pollicetur.

Tu quoq; talis es ;

qualem Virtus desiderat : & qualem Magnus ille Heros

 IOAN-

IOANNES ZAMOSCIVS, esse voluit.
Tandem in ludo Bellonæ vales;
quantum victori satis est.
Sub optimo Artis Bellicæ Magistro,
Magno olim Duce IOANNE SOBIESCIO,
tot ferarum Gentium Domitore & vero Patre Patriæ, quem nunc (vtinam felix faustumq; sit) nobis propitia fata, in Regio posuêre throno,
Non poteras imbellis euadere Discipulus:
Sub cuius Gentilitio clypeo
ita tuas expolijsti sarissas;
Vt nouum lumen Prosapiæ parares.
Resplenduit in Te nuper strenua Martis gloria; dum ad Chocimum contra immanes Turcas, sub auspicio Victoriosissimi Ducis, felix Cooperator ad Victoriam extitisti.
In tam arduo casu,
perfacilem Te Bellona vidit.
Vtq; tutamen Patriæ fores,
Vitam mille periculis obiecisti.
Verum filium te monstrâsti;

dum

dum cadenti auxiliatricem ſuppoſuiſti manum.
Audiuimus & Scythicas tremuiſſe pharetras,
amplitudine duntaxat lancearũ Tuarũ perculſas,
Hinc merito ad arma videris natus.
Cum vero pro omnibus dimicâſti;
omnium amores complexus es,
quia nec ad odia cuipiam vixiſti.
Tota Reſpublica Polona,
inſignum gratitudinis & amplexus fauet.
Vniuerſus Equitum Ordo
Vniuerſa in Te ingenua prædicat,
Ergo tot teſtibus vincis, cum in voce
populi, Diuinam latere conſtat.
Decertat pro Te & Pallas:
quæ ſtrenuam rerum gerendarum contulit dexteritatem
Vtq; ſibi quidpiam in Te prætenderet;
gratiam dicendi dedit.
Et quia,
Fronte capilla(ta) eſt, poſt hæc occaſio calua;
in negotiis agendis punctualem Te eſſe voluit,
ac obtinuit.
Inde conſtat,
illorum Nominũ, veram in te fieri reuolutionem.

Stellas illas, an soles Polonos, ab imo reuocas
Hæmisphærio. quibus exponendis; cùm
strictior charta non sufficiat, alibi compensabit.
Agit iterum Zamoscana Sphæra.
eoq; fortius; quò tardius ad pristinam redit stationem.
Stabit proinde tam tardæ reuolutionis influxus,
Florebunt diu Vestra Nomina;
quæ, quò Maiora; eò plures spectatores habitura:
quò illustriora; eò melius, lumine per gentes conspicua.
Digna certè, quibus totus assurgat Orbis;
nam quidpiam speciale à Diis habent:
Quibus vnà Tecum Illustrißime Domine.
ex voto Academico,
Supremus rerum annuat Ordinator.

VOTIVVS APOLLINIS
Zamoscani plausus.

CInctus augustâ viridiq; lauru
Augur, & vatum sacra mens Apollo,
Ad Tuum, mitto mea vota, plausum
Ex Helicone.

Te cano,

Te cano, vates, ſcius & futuri,
Vera ſtirps ac ſpes generis vetuſti,
Clare ZAMOYSKI, rediuiua MAGNI
Vita IOANNIS.
Quando felici pede iam ſubintras,
Hunc locum Noſtris placidum Camænis,
Occupas nec non Tibi deſtinatam
Vir bone ſedem;
Pulchra iam rurſus Lechico Penati,
Et meis tandem rediiſſe Muſis,
Indoles in Te pretii præalti,
Tempora ſpondet.
Sentiet, dico, breuiore luſtro,
Sorte deiectus grauibus maliſuè,
A Tuo terno iaculo, leuamen
Sarmata triſtis.
MAGNVS vt quondā Domitor IOANNES
Gentium vixit, Tua dextra fortis
Tot feras Gentes Tritaui potentès
Vincat ad inſtar.
Iam Getæ diri trepidet pharetra,
Excidant arcus, fugiant Caballi;

Rursus exurgunt SARIANA quando
Spicula trina,
Impius quodsi Machomet furorem,
Ampliùs fundet patrias in oras;
Terga det Victus, metuat Tuumq;
Nomen & omen.
Terga det victus, violentiore
Quisquis hanc Sedem Tibi dedicatam,
Impetu tanget: maneas in ista
Vrbe beatus.
Vtq, Te longo celebremus æuo,
Longiùs vitam pia fata donent.
Viue Patronus, Pater, atq; Nostrum
Dilige cætum.
Te nihil maius meliusue Musis,
Magna donauit soboles Tonantis,
Charius quidquam nec ego putarem
Augur Apollo.
Diliges credo charitum coronàm,
Et Serenabis generi Togato,
Sicq; Maiorum reuocabis omne
Tempus ad vnguem.
Hinc

Hinc colet dictus Tua gesta cætus,
Ibit in laudes, genus atq; formam
Posteris mittet, calamoq; docto
Facta notabit.
Iamq; Te cultu venerantur alto:
In nouos surgit pia turba plausus:
Iam studet quo Te decorare possit
Tota Palæstra.
Grande Tu nobis iubar affuturum,
Et decus voto meliore spondes.
Fama nec paruos Tibi pollicetur
Laudis honores.
Namq; Maiorum cupis æmulari
Facta, Gradiui studio, Togâq;:
Sic breui magnum capies honorem,
Nomen & altum.
Ergo iam felix Dominator esto,
Floreas nobis, patriæ simulq;:
Inclytæ Gentisuè Tuæ decorem
Redde perennem.
Viue ZAMOSCÆ columen Mineruæ;
Tot Tibi semper bona liberali

Deflu-

Defluant cœlo : quot habet fluentis
Littus arenas.
Nulla Te Sortis quatiat procella,
Fata nec quando ſubeas iniqua,
Sed Tuis rebus benedicat ipſum
Numen ab alto.